



DISPUTATIO INAUGURALIS

607.

DE

CONSTITUTIONE ET ACQUISITIONE FEUDI: ET INDE COMPETENTI JURE.

1642, 7.

36

Quam

DECRETO ET AUTORITATE
amplissimæ Facultatis juridicæ, in celeberrima Argentoratensium
Academiâ,

*Pro consequendis in utroque jure honoribus
Doctoralibus,*

Sub præsidio summæ

TRINITATIS.

Publica & Solemni ventilationi exponit,


ad diem 17. mens. Mart.


JOHANNES Glüter /
HAMBURGENSIS.

ARGENTORATI,

Typis, JOHANNIS ANDREÆ,

M. DC. XLII.





DE
CONSTITUTIONE
 ET ACQUISITIONE FEUDI:
 ET INDE COMPETENTI
 JURE.

Thesis I.

Aquiritur feudum Investiturâ, Præscriptione, Successione, & Sententiâ judicis.

I I.

Investitura est solennis feudi cessio; quæ aut de veteri, aut novo fit beneficio, c. 1. pr. 2. F. 3. c. extraord. 2. F. 91.

III.

De veteri facta non tam acquirendi modus, quam feudi jam constituti acquisitique confirmatio habenda est: quæ verò critica rem primitus in feudum concedendam occupatur, per eam non absurdè quis & constitui feudum & acquiri dixerit, post alios, cum Vultej. de feud. lib. 1. cap. 7. n. 1. & cap. 9. pr. & n. 1. & seqq. ita, ut omnis feudi constitutio (quæ solâ investiturâ inducitur) sit ejusdem acquisitio; sed non contrâ.

IV.

Unanimi interpretum calculo approbata est distributio Investituræ,

A 2 vestituræ,

vestituræ, in propriam, & abusivam, *c. 1. pr. 2. F. 2.* ut illa sit, cum realiter tribuitur possessio; hæc, quando hasta, vel aliud corporeum quid, à domino investituram se facere dicente porrigitur: quam tamen distinctionem inconcinnam videntur reddere ea quæ disputat. Vultej. *d. lib. 1. c. 7. n. 10.* utrumque autem investendi modum prolixius explicatum, & ipsius vocabuli Investituræ Grammaticam considerationem, variamque interpretationem, ex Vultej. *d. l. n. 5. & seqq. & Rittersh. partit. jur. feud. lib. 1. cap. 8.* petere licet.

V.

Investituram facit dominus vel per semet, vel per alium, sicut & ea rectè per alium vasalli nomine suscipitur, *c. 1. §. 1. vers. sed utrùm 2. F. 3.* modò id in novo feudo constituendo coram pares curiæ expediatur, *c. 1. 2. F. 2. c. 1. 2. F. 32. c. 1. pr. vers. quod autem 2. F. 23. c. 1. §. ult. vers. idcirco 2. F. 72.* si tamen pares dominus non habeat, *d. c. 1. pr. vers. quod autem.* aut absentium copia nequeat haberi, extranei quoque testes admittentur, *c. 1. pr. vers. testes verò. 1. F. 26.* quod etiam obtinet, si jus veteris beneficij per investituram confirmandum veniat, *d. c. 1. vers. de veteri. 2. F. 32.* ad clericorum verò investituram pariter extranei & pares licitè in testimonium advocantur, *d. c. 1. pr. vers. hæc omnia. 1. F. 26.* ubi, arguente particula, Pariter, forsitan tentari posset, ita in clericorum investiturâ extraneos testes recipi, ut ad minimum unus è paribus necessariò adhibendus sit, propter *d. c. 1. 2. F. 32.* id tamen autore destitutus vix ausim affirmare.

VI.

Fidei promissio à beneficiario facienda, & juramento regulariter firmanda, *c. 1. in fin. 2. F. 3. c. 1. §. 1. inf. 2. F. 24.* dubium est, præcedere, an sequi investiturâ debeat? Dicitur potest, cum Dd. quòd fidelitatis juramentum investituram abusivam sequatur, *c. 1. 2. F. 4. c. 1. §. 1. 2. F. 7.* propriam verò præcedat, *c. 1. §. 1. in fin. 2. F. 3.* quod tamen Vultejo istam investituræ distinctionem non admittenti non satisfacit, uti liquet ex ijs, quæ tradit *lib. 1. c. 7. n. 49. & seqq.*

VII. Non

VII.

Non tantum purè, sed & sub conditione investituram fieri certum, *c. 1. 1. F. 9. de feudo non tantum vacante, sed & vacaturo quem investiri moribus receptum est, c. 1. 1. F. 27. c. 1. §. moribus. 2. 2. F. 26. Gaill, lib. 2. pract. observ. ult. Vultej. de feud. lib. 1. cap. 7. n. 64. & seqq. nec tantum scriptis, sed & sine scriptis facta investitura valebit, c. 1. pr. 2. F. 2. c. 1. 2. F. 32.*

VIII.

Si cui feudum dominus promiserit, non apparet, intra quod tempus investitura peti debeat: tribus tamen vicibus, convenienti tempore interposito, si investiendus ad curiam domini venire recusaverit, jure suo cadet, *c. 1. 2. F. 22. c. 1. §. 1. 2. F. 24. renovatio autem investituræ, in antiquo feudo necessaria, à milite intra annum & mensem petenda est, c. 1. pr. 1. F. 22. ab aliis vasallis, non militibus, intra annum & diem, c. 1. pr. 2. F. 24. c. 1. §. fin. 2. F. 52. c. 1. pr. vers. praterea. 2. F. 55. & ea est communis FF, opinio, vid. Rosenthal, tr. jur. feud. cap. 6. conclus. 30.*

IX.

Duobus tandem de feudo abusivè investitis, possessionem adepti partes erunt potiores, etiam cum possessio posteriori tradita est cum clausula: Salvo jure prius investiti, *v. Ros. tr. jur. feud. d. cap. 6. conclus. 9. & seqq. Tantum pro instituto de acquisitione feudi per investituram.*

X.

Præscriptione acquiritur feudum, si quis per triginta annos rem aliquam ut feudum possidens servitium domino exhibuerit, *c. 1. §. si quis. 4. in pr. 2. F. 26. c. 1. 2. F. 37. extraord.*

XI.

Ad præscriptionem igitur feudi requiritur rei possessio, *d. c. 1. §. 4. in pr. ibi: possedit. 2. F. 26. quod & aliàs sine possessione nulla est præscriptio, l. sine possessione. 25. ff. de usurp. & usucap. eamque continuam esse oportet, non interruptam, arg. partic. P. E. R. d. §. 4. pr. Frid. Schenck, ad d. §. num. 2. cum & jure communi in*

in in præscriptione continuatio possessionis desideretur, l. usucapio. 3. l. si is qui. 15. in pr. cum similib. ff. de usurp. & usucap. l. sicut 3. vers. hæc autem. C. de præscript. 30. vel 40. ann. c. illud. S. extra. de præscript.

XII.

Possessionem istam putamus titulo non indigere, d. l. sicut 3. l. si quis. 8. §. 1. C. de præscript. 30. vel 40. ann. arg. c. 1. vers. strenuus. 2. F. 1. cum & communiter Dd. in d. §. 4. pr. definiti temporis spatium, & animus possessoris habendi rem in feudum, loco tituli esse censeant, teste Vultej. de feud. lib. 1. cap. 7. n. 14.

XIII.

Etsi verò in præscriptione longissimi temporis bona fides jure civili non est necessaria, d. l. sicut 3. d. l. si quis 8. §. 1. C. de præscript. 30. vel 40. ann. l. ult. C. und. vi. hinc tamen eam exigimus, Myns. cent. 4. sing. observ. 29. n. 6. & quod jure Canonico nulla præscriptio valet absq; bona fide, c. fin. extra. de præscript. c. possessor. 2. de reg. jur. in 6. cui, ex communi Dd. sententiâ, in materia præscriptionis, in qua de peccato agitur, standum, atque ita in Camera receptum esse, observârunt, Gaill, lib. 2. pract. observ. 18. n. 6. & seqq. Myns. cent. 4. sing. observ. 6. & quod c. extraord. 2. F. 87. in præscriptione feudi expressè bonam fidem requirit.

XIV.

Ad præscriptionem præterea opus est, ut quis rem tanquam feudum possideat, d. c. 1. §. 4. pr. ibi: ut feudum possedit. 2. F. 26. Alvarott. ad d. c. 1. §. 4. pr. quod ab eo fieri dicitur, qui domino inde servitium præstat, d. §. 4. ibi: servitium domino exhibuerit. Bocer. class. 5. disp. 17. rh. 11.

XV.

Neque tamen singulis annis domino servire necesse est, sed sufficit semel ei intra præscriptionis tempus servitia exhibuisse, arg. c. cum de beneficio. 5. ibi: quandoque. de præbend. & dignit. in 6. Aly. ad d. §. n. 2, Zas. tr. de feud. part. 6. n. 30.

XVI.

Tempus, quod attinet, in præscriptione feudi triginta annorum

rum

rum spatio determinatur, d. §. 4. pr. & quare hic longi temporis
prescriptio non sufficiat, evidentem rationem vix quisquam as-
signaverit, atque si aliquid, huc certe quadrat l. non omnium. 20.
ff. de legib. ita ferè sentiunt, Eguinar. Baro, & Hotoman. ad d. §. 4. pr.

XVII.

In rebus quoque Ecclesiarum, vel Reip. 30. annis feudum præ-
scriptione acquiritur, propter generalem textum in d. §. 4. pr. arg.
l. de pretio. 8. ff. de public. in rem act. Frid. Schenck, ad d. §. n. 4. Vulteej.
de feud. lib. 1. c. 9. n. 8.

XVIII.

Sicut autem quis servitium 30. annis præstando jus vasalli
consequitur: ita etiam tanto tempore servitium recipiens jus
Domini præscribit, Myns. d. cent. 4. sing. observ. 29. in fin. idque ex
natura correlativorum, quorum quando eadem est ratio, eadem
est disciplina, arg. l. ult. ff. de acceptil. l. ult. C. de indict. vid.

XIX.

Quin & feudum jamantè constitutum à tertio quodam con-
tra Dominum, vel vasallum, præscribi potest, vid. præter alios, Ro-
senthall, tr. jur. feud. c. 6. conclus. 84. & cap. 9. concl. 85. n. 10. & con-
cl. 97. quem etiam sequimur docentem, d. c. 6. concl. 82. præsertim-
num. 15. vasallum nullo tempore directum dominium contra do-
minum præscribere, nisi beneficium, tanquam allodium, bonâ fi-
de possidens, ad servitia requisitus ea neget, posteaque dominus
triginta annos taceat. E contra à Domino utilis dominij conso-
lidationem triginta annis rectè præscribi arbitramur, cum eod. d. c.
6. concl. 83.

XX.

Effectus hujus præscriptionis est, quod etiam sine investitura
confert jus Domino, vel vasallo competens. d. §. 4. pr. undè licet
feudum præscriptione quæsitum improprijs feudis annumeran-
dum sit, in cæteris tamen propriam feudi naturam continet, c. 1. 2.
F. 48. Rosenth. cap. 2. concl. 51. & d. c. 6. concl. 77. num. penult. & seq.
Hæc de præscriptione feudi.

XXI.

uca-
ut 3.
a. de

ut 3.
uus.
oris
o ti-

ides
pra-
nus,
ulla
ffor.
pra-
Ca-
n. 6.
7. in

am-
Al
ndè
lass.

sed
isse,
n 6.

no-
rum

Successio vel legitima est, vel testamentaria. Hæc irregularis & extraordinaria dicitur, quia in testamento de feudis disponere nequit, *c. 1. in pr. 1. F. 8.* nisi certis tantum casibus, *Gothofr. Anton. disp. feud. §. th. 5. lit. D. junct. th. 8. pr.* si nimirum feudum sit absolute hereditarium. *c. 1. 2. F. 48. Gaill, lib. 2. pract. observ. 154. n. 13.* si vasallo, & quibus ille dederit, feudum concedatur, *d. c. 1. 2. F. 48. Borch. in consuetud. feud. cap. 7. part. 2. num. 6.* si & Domini, & legitimorum feudi successorum consensu testamentum fiat, *arg. c. 1. pr. 2. F. 39. Gothofr. Ant. d. disp. feud. §. th. 8. lit. E.*

XXII.

Extra casus, quibus testamentaria successio locum non habet, ne quidem æstimatio feudi debetur ijs, quibus id testamento relictum est, *l. cum servus, 39. §. fin. ff. de legat. 1. Alvarott. ad c. 1. §. 1. 2. F. 9. num. 11. Bocer. tr. questio. contr. de jure succed. in feud. cap. 1. quest. 8. & class. §. disp. 18. th. 34. in fin.*

XXIII.

Legitimæ successionis jure novissimo triplex est ordo; ascendentium, descendentium, & collateralium: quibus è jure prætorio conjugum successionem addo. Ascendentes regulariter hic non succedunt, *c. 1. in pr. 2. F. 50.* rationem reddit *Vultej. de feud. lib. 1. c. 9. n. 101.* nisi fortè pacto, consuetudine, vel statuto aliter sit dispositum, *c. 1. 2. F. 84. extraord. Gothofr. Ant. d. disp. feud. §. th. 6. lit. B. ubi cum FF. & Dd. alios adhuc casus excipit.*

XXIV.

Descendentium ordine liberi succedunt, *c. 1. §. 1. 1. F. 1. c. 1. in pr. 1. F. 8. c. 1. in pr. 2. F. 11. c. 1. in pr. 2. F. 50.* & emancipati, propter generalitatem textuum jam allegat. & quia jure communi in allodialibus succedunt, *Nov. 118. c. 1. & exhereditati, arg. d. c. 1. in pr. 1. F. 8. Sonstbecc. comment. ad us. feud. part. 9. num. 61. & præteriti, Sonstb. d. part. n. 62.*

XXV.

Adoptivi tamen in feudum non succedunt, *c. 1. §. si quis, 4. vers.*

vers. adoptivus. 2. F. 26. neque naturales liberi, d. §. vers. naturales. idemque de legitimatis indistinctè asserimus, d. vers. naturales. cum Sossbecc. d. part. 9, n. 72.

XXVI.

Filius præterea clericus à successione feudi repellitur, c. 1. 2. F. 21. d. c. 1. §. si quis. 4. vers. qui clericus. 2. F. 26. c. 1. vers. ex hoc. 2. F. 30. c. 1. in fin. 2. F. 36. c. 1. t. 109. extraord. nisi investituræ pacto aliter provisum fuerit, vid. Bocer. tr. de jur. succ. in feud. c. 3. quest. 14. & seqq. & d. cl. 5. disp. 12. th. 9. & seq.

XXVII.

Muti porrò liberi, surdi, cæci, claudi, aliòve modo imperfecti, si naturâ tales sint, (non etiam si ita casu miseri, modò non propriâ culpâ, Alvarott. ad c. 1. 2, F. 36. num. 4. & 7.) ad feudi successionem non admittuntur, c. 1. §. fin. 1. F. 6. d. c. 1. 2. F. 36. Illi verò quibus ejusmodi calamitas fortuitò obtrigit, si ipsi servitia præstare nequeant, aut alium domino acceptabilem pro se substituent, aut ei partem reddituum feudi subministrabunt, arg. c. 1. 2. F. 55. Hartmann. Pist. question. jur. lib. 2. quest. 32. num. 34.

XXVIII.

Nati quoque ex uxore, cum qua eâ lege matrimonium initum fuit, ne liberi inde procreati succederent, à feudo excluduntur, c. 1. §. 5. vers. filij nati. 2. F. 26. c. 1. 2. F. 29. Borch. in consuetud. feud. c. 7. part. 2. num. 56.

XXIX.

Fœminæ, liberi etiam, ab hâc successione removentur, c. 1. §. hoc autem. 3. 1. F. 1. c. 1. §. fin. 1. F. 8. c. 1. vers. ad filias. 2. F. 11. c. 1. pr. 2. F. 50. atque non ipsæ tantùm, sed & earum liberi, licet masculi, d. c. 1. §. 3. 1. F. 1. d. c. 1. vers. ad filias. 2. F. 11. quando autem feudum est fœmineum, c. 1. 2. F. 30. d. c. 1. pr. 2. F. 50. vel inter contrahentes, in prima scil. concessione, sive investiturâ, specialiter convenit, ut in feudum fœminæ succedant, capp. h. th. allegg. junct. c. 1. §. ult. in f. 1. F. 14. c. 1. in f. 2. F. 23. successio fœminis non denegabitur.

XXX.

B Veruntamen

gula-
bonâ
ton.
bso-
130
F. 48.
&
arg.
ha-
ento
§. 1.
cap.
; a-
jure
lari-
j. de
tuto
feud.
c. 1.
pati,
ni in
in pr.
eriti,
uis, 4
vers.



Veruntamen femina, ad quam ita feudum pertinet, tūm de-
mum ad successionem admittitur, cū nō primo acquirente nulli
amplius masculi supersunt, *c. 1. §. 1. l. F. 6. c. 1. §. fin. l. F. 8. c. 1.*
vers. cumq; inter 2. F. 17. c. 1. pr. ibi: deficientibus filijs masculis. 2. F.
30. at semel exclusa semper exclusa censebitur, d. c. 1. §. 1. & §. ult.
inf. l. F. 5. Gothofr. Ant. disp. feud. 6. th. 6. lit. A. eaque singula obti-
nent, nisi diversum evidenter actum appareat. Bocer. class. §. disp. 18.
th. 15. & seqq. sed quæ semel successerit, propter masculum postea
natum à feudo discedere non cogetur, modò defunctus vasallus
uxorem prænantem non reliquerit, Boc. d. cl. §. d. 18. th. 17.

XXXI.

Liberorum autem appellatione intelligimus non solum pri-
mi gradus liberos, sed & nepotes, & pronepotes, cæterosque, qui
ex his descendunt; ubi sciendum, filios, si soli sint, æqualiter &
in capita succedere, *c. 1. §. 1. in fin. l. F. 1 c. 1. in pr. l. F. 8. in nepo-*
tes, cum ijs concurrant, successionem in stirpes fieri, d. c. 1. pr. l. F.
8. nullis verò extantibus filijs, ex ulterioris gradus liberis semper
proximiores remotioribus præferri, c. 1. in fin. 2. F. 50.

XXXII.

Sed juxta constitutionem Imp. Friderici regale feudum non
secatur, *c. 1. §. vers. præterea ducatus. 2. F. 55. adeoque ad solum pri-*
mogenitum deferri debet; quemadmodum & in Electoratibus te-
cularibus, A. B. Caroli IV. ubi Arum. discurs. acad. 4. th. 4. anxie
cautum reperitur: nos etiam primogeniti nepotem in regali feu-
do patruo anteponendum credimus, arg. d. c. 1. pr. l. F. 8. c. 1. 2. F.
11. d. c. 1. 2. F. 50. & passim: præter textus juris communis, & rationes,
quas in hac controversia prolixo stylo Dd. nobiscū sentientes accumulant.

XXXIII.

Post descendentes succedunt agnati collaterales, si tamen &
hi à primo acquirente descendant, *d. c. 1. vers. his verò 2. F. 11. d. c. 1.*
vers. ex latere. 2. F. 50.

XXXIV.

Ad hanc successionem primò vocantur fratres, *d. c. 1. vers. his*
ver

verò 2. F. 11. cum quibus fratres ex uno tantum latere conjuncti, si sint consanguinei, pariter succedunt, *Dd. in d. vers. his verò. Gaill. lib. 2. pract. observ. 151. & fratrum premortuorum filij cum iisdem in stirpes, d. c. 1. vers. his verò.*

XXXV.

Fratrum dein de filij, soli existentes, patruo suo non in stirpes, sed in capita succedunt, *l. post consanguineos. 2. §. hac hereditas. 2. ff. de suis. & legit. hered. Ulpian. tit. 27. §. ad gnatorum. 3. Caj. Inst. lib. 2. t. 8. §. regulariter. 6. Accedit Caroli V. constitutio, Spira in Comitibus an. 1529. promulgata, qua omnem hac de re disputationem in allodialibus sopivit, Myns. cent. 3. sing. observ. 84 ubi in fin. in successione feudali suo tempore in Camera idem determinatum refert.*

XXXVI.

Post fratres, fratrumque filios, posteriores agnati, & ex his proximiores ad feudi successionem deveniunt, *d. c. 1. vers. his verò. 2. F. 11. d. c. 1. 2. F. 50. quam proximitatem non primi acquirentis, sed agnati ultimò defuncti respectu considerari, communius, & rectius obtinuit, arg. c. 1. §. cum verò. 2. vers. & ut frater. 1. F. 1. cum locis juris feudalis passim similibus, Hartm. Pist. quest. jur. lib. 3. q. 23. num. 23. & num. 33. & seqq.*

XXXVII.

Dicta de collateralibus de veteri, five paterno feudo exaudienda sunt, *d. c. 1. vers. his verò. 2. F. 11. d. c. 1. vers. ex latere. 2. F. 50. In feudum quippè novum frater non succedit, nisi vel investituræ pacto id contineatur, c. 1. §. ult. vers. in alio. 1. f. 8. c. 1. 1. F. 20. c. 1. 2. F. 12. vel feudum communibus bonis acquisitum, d. c. 1. 1. F. 20. vid. Bocer. tr. question. controuv. de jure succed. in feud. cap. 5. quest. 2. vel idem duobus fratribus concessum sit, ut communibus equis & armis dominum contra hostem juvent, d. c. 1. F. 20. Bocer. d. cap. quest. 3. de ceteris exceptionibus FF. consulendi.*

XXXVIII.

Non vero descendentium tantum, *c. 1. §. ult. pr. 1. F. 1. sed & collateralium successionem in infinitum procedere, nulla adhibi-*

tà distinctione, contendendum existimamus, *d. c. 1. 2. F. 50. Hartm. Pist. quest. jur. lib. 2. q. 19. n. 26. & seqq. presertim, n. 40. Bocer. d. cap. 5. quest. 22. cum quo etiam, d. cap. quest. 21. & cl. 5. disp. 18. tb. 32. computationem graduum in successione feudali neq; secundum civilem, neque secundum canonicam dispositionem per omnia ineundam, sed ex ipsis feudorum placitis depromendam esse, ut nimirum primus quoque investitus connumeretur, & gradum constituat, statuere non dubitamus.*

XXXIX.

Conjugum porro successioni, nisi id investituræ pacto expressum fuerit, *c. 1. in pr. 1. F. 15. c. 1. 2. F. 13. itemque fisci occupationi, Soub. Comment. ad us. feud. part. 9. num. 116. eumq; secutus Vultej. de feud. lib. 1. cap. 9. in fin. nullus in feudis locus est: supra dictis enim deficientibus, beneficium ad dominum revertitur, Soub. d. l.*

XL.

Cæterum quæri solet, num successor defuncti allodium repudiare, & tamen feudum retinere possit? Filius aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet: agnato absque feudo (modò non sit hereditarium) allodiam hereditatem recusare licet, *c. 1. 2. F. 45. c. 1. §. filius. 4. 2. F. 51. Hartm. Pist. quest. jur. lib. 2. quest. 2. Hinc constat, si feudum, fuerit hereditarium, vasallum teneri æs alienum ab antecessore contractum exolvere: filium ad id obligari, tamen si in feudum ex pacto & providentiâ successerit, *d. c. 1. 2. F. 45. Gaill, lib. 2. pract. observ. 154. Inventarij autem confecti- one ab onere isto non relevabitur, Hartm. Pist. de quest. 2. n. 45. & seq.**

XLI.

Postremò addimus: Feudum, nisi hereditarium, in libero- rum legitimam non computari, neque in fideicommissi univer- salis restitutionem venire; jus accrescendi in beneficio propriè locum non habere: de quibus, & similibus controversiis, viden- di Dd.

XLII.

Cum sit notissima juris regula, rem judicatam pro veritate haberi,

haberi, non absurdè tandem statuimus, & adijcimus acquisitionem feudi, quæ fit per sententiam judicis, fundum, qui revera erat allodialis, controversiâ abortâ, feudalem esse pronunciantis; atque hunc feudi acquirendi modum à Petro de Bellapert. traditum refert *Valtes. lib. 1. c. 9. n. 24.* Pergamus nunc ad jus, quod, constituto acquiretque feudo, Domino, & Vasallo competit.

XLIII.

Jure, quo Dominus gaudet, Vasallus ei fidelitatem jurare obstringitur, prout *c. de forma. 18. caus. 23. quest. 1. & lib. 2. F. tit. 5. 6. & 7. explicatiùs traditum reperire licet:* & quando vasallus non præstat ea, quæ fidelitatis juramento continentur, feloniam committere, aut ipsam facere dicitur, *c. 1. §. ult. vers. domino. 2. F. 26. c. 1. pr. 2. F. 37. c. 1. 2. F. 47.*

XLIV.

Et cum non fideliter tantum, sed humiliter quoque, devotè, ac benignè vasallus erga dominum se habere debeat, *c. 1. vers. quomodo 2. F. 23.* famosâ actione ipsum convenire nequit, aut testimonium contra eum in criminali causâ deponere; quamvis in causa civili modicâ, quæ sc. grave dispendium non infert, & accusare dominum, & contra eundem testimonium reddere possit, *c. 1. §. item qui. 2. vers. item si delator. 2. F. 24. c. 1. §. 1. vers. similiter. 2. F. 33. Cujac. ad d. c. 1. §. 1. 2. F. 33.*

XLV.

Quæstio vulgata hoc loco se offert; nùm vasallo liceat, dominum absque veniæ impetratione in jus vocare? quod negamus, *arg. l. generaliter. 13. ff. de in jus. voc. l. 1. & l. venia. 2. C. eod. junct. c. 1. vers. curia autem. 2. F. 22.* contrarium sentientes, quod non habeant rationem publicæ honestatis, *Oldendorp. act. forens. progymnasim. class. 1. act. 4.* totâ viâ errare judicat; & in Camera Imperiali vasallos hanc veniam petiisse observatum meminit, *Boc. Class. 5. disp. 19. th. 9. in fin.* de quo tamen aliter testatur, *Mynscent. 4. sing. observ. 92. Gaill. lib. sing. de pignorationibus observ. 15. n. 4.*

XLVI.

B 3

Ad

Ad jus Domini præterea spectat, quòd, cùm inter convasal-
los de feudo lis exoritur, ipse eam decidit, *c. 1. in pr. 1. F. 18. c. 1.*
pr. 2. F. 34. c. 1. §. 1. in fin. 2. F. 55. c. extranmissa. 6. extra. de for. com-
pet. quod hìc fusiùs tractare, extra propositum est.

XLVII.

Plurimum etiam juris Domini consistit in servitiis, ad quæ
vasallus obligatur, sive illa, qualia esse debeant, nominatim ex-
pressa, sive indeterminatè promissa sint, *c. 1. in fin. 2. F. 23.* sive de-
nique in investitura nulla eorum mentio facta fuerit, *arg. l. cùm*
quid. 3. ff. de reb. cred. Gothofr. Ant. disp. feud. 7. th. 2. lit. E.

XLVIII.

Servitia pactionibus specialiter definita ista esse perhibent,
quæ è feudis conditionalibus, *Seslehen* / debentur; cujasmodi
sunt: ut vasallus uxorem domini diebus festis ad ecclesiam de-
ducat, *c. 1. §. 1. vers. præterea. 2. F. 2.* ut unum, duos, pluresve e-
quos, belli tempore domino subministret. varijque generis a-
lia, & ludicra nonnunquam; veluti: ut certo die cantilenam
cantet: ramum viridem portet: &c. *Gothofr. Ant. d. th. 2. lit. D.*
modò neque turpia, neque impossibilia fuerint, *l. impossibilia.*
185. ff. de reg. jur. c. nemo 6. eod. t. in 6.

XLIX.

Attamen ubi turpe, aut impossibile ministerium promitti-
tur, num ipsa feudi constitutio adhuc valebit? affirmantium o-
pinioni subscribimus, *arg. c. utile. 37. d. t. in 6. sed vid. Schrader. tr.*
feud. part. 2. cap. 2. n. 14. & seqq. ejusmodi autem promissio ad ho-
nesta, & possibilia servitia redigetur, *Frid. Schenk. ad d. c. 1. §. 1.*
vers. præterea. 2. F. 2. num. 3.

L.

Præter servitia investituræ pacto nominatim expressa, va-
sallus domino, nisi ijs, quæ fidelitatis forma continet, ulterius
gratificari non tenetur, *Schrad. part. 2. cap. 4. n. 14. & part. 6. c. 6.*
n. 4. Sed si servitium, quod feudo naturaliter inest, speciali mo-
do determinetur, cætera, quæ fidelitatis forma comprehendit,
non

non debebuntur, nequid frustra actum videatur, *arg. l. si quando.*
109. pr. ff. de legat. 1. Schrad. d. cap. 4. num. 15.

LI.

Servitiis indefinitè promissis, honesta quælibet præstanda
 intèlliguntur; modò non immodicè ea dominus exigat, *arg. l. si*
libertus. 30. pr. ff. de oper. libert. Bocer. class. 5. disp. 19. th. 33. cum
quo, th. seq. admittimus, pro quantitate feudi, usque ad dimidi-
am partem fructuum, ac reddituum annuorum, dominum egenum
à vasallo ali æquissimum esse, c. 1. vers. ut autem. 2. F. 4. c. 1. §. 1.
pr. 2. F. 55. l. necare. 4. §. l. seq. §. solent. 18. §. §. seqq. ff. de agnosco
et alend. lib.

LII.

Quando in investitura de servitijs nihil cautum invenitur,
 ea, quæ cæteri ejusdem conditionis, & regionis vasalli præstare
 solent, servitia exhibebuntur, *Io. Anton. de S. Georg. ad c. 1. in fin.*
2. f. 23. verb. expressum. Schrad. d. p. 6. c. 6. n. 4. Gothofr. Ant. d. disp.
7. th. 2. lit. fin.

LIII.

Ministerium porrò à vasallo suscipiendum regulariter est mili-
 tare, *arg. c. 1. §. fin. vers. beneficium. 2. F. 26. c. 1. §. similiter 2. in pr.*
2. F. 34. §. passim. sufficit autem, ut à Domino vocatus demum
serviat, c. 1. vers. nam si. 1. F. 21. c. 1. §. si quis. 5. vers. licet vasallus.
2. F. 26. c. 1. §. 1. 2. F. 37. nisi magnum illi periculum imminere
noverit, d. c. 1. §. 5. 2. F. 26. neque tamen præcisè ipsemet ibit,
sed alium mittet, domino acceptabilem, ut loquitur Imp. Frideric.
in d. c. 1. §. 1. pr. 2. F. 55. quin & è feudo reddituum annuorum di-
midium ei subministrando servitium redimere poterit, d. §. 1. pr.
quæ verò servitia tam intra, quam extra vasalli territorium præ-
stantur, domini impensis constare arbitramur, c. 1. t. 107. extra-
ord. Niell. controv. jur. feud. disp. 7. th. 3. lit. B.

LIV.

Alijs armis, sive jure, sive injuriâ, oppugnatum defendere;
 alijs autem ex justa duntaxat causâ, aut si justitia causæ dubia sit,
 bellum inferentem dominum vasallus adjuvare tenetur, *c. 1. pr.*
vers.

vers. & si scivero. 2. F. 7. c. 1. pr. 2. F. 28. at contra imperatorem, d. c. 1. in pr. 2. F. 7. c. 1. in fin. 2. F. 55. vel contra antiquiorem dominum non militabit, d. c. 1. vers. ult. 2. F. 28. neque contra seipsum, vid. Jo. Ant. de S. Georg. ad d. c. 1. vers. ult. 2. F. 28. num. 2. Niell. d. disp. 7. th. 3. lit. E. neque contra patriam, Dd. in d. c. 1. vers. ult. 2. F. 28. neque contra patrem, filium, fratrem, aut personas similes, nisi coarctatâ naturalis pietatis ratione, alia fortior id fieri posse suadeat; quo modo vers. ultimus d. c. 1. accipiendus est, quamvis ejusmodi interpretatione textui, crudè, prout sonat, considerato, vis illata videri possit. vid. Gothofr. Ant. d. disp. 7. th. 5. lit. F.

LV.

Jus vasalli considerandum restat. Dominus igitur in multis vicem fideli suo reddere debet, *c. 1. in fin. 2. F. 6. c. 1. §. fin. vers. domino. 2. F. 26. c. 1. §. 1. 2. F. 34. c. 1. 2. F. 47. cui, fidelitatis præsertim intuitu, omnino par judicatur, d. c. 1. in f. 2. F. 6. Goedd. de feud. disp. 6. th. 1. in fin. ideoque eidem conjux, & amicus perhibetur, c. 1. pr. vers. non enim. 2. F. 53.*

LVI.

De jure vasalli est, quod possessionem feudi amissam utili in rem actione à quovis revocandi potestatem habet; defensionem quoque opponit, si beneficij nomine ab alio conveniatur, *c. 1. pr. vers. rei autem. 2. F. 8. eique de evictione cum domino agere licet, modò rem alienam, alijve obligatam ignoraverit, c. 1. in pr. 2. F. 8. c. 1. t. 87. & c. 1. t. 96. extraord. quæ omnia hîc latius explicare, non est nostri instituti.*

LVII.

Vasallus fructus ex feudo provenientes suos facit, tam civiles, quam merè naturales, & industriales, *c. 1. in fin. 2. F. 23. c. 1. vers. his consequenter. ubi Andr. de Isern. Alvarott. (n. 5.) Joh. Ant. de S. Georg. 2. F. 28. v. Schrad. part. 2. part. 9. principal. sect. 3. n. 53. & seqq. ipso autem sine herede masculino decedente, & feudo ad dominum revertente, ad quem ultimi anni fructus pertineant? dicit. d. c. 1. vers. his consequ. & ibi interpp. 2. F. 28.*

LVIII.

Omne quoque incrementum fidelis jure feudi obtinet, nisi dominus in ipsa curte sibi quid retineat, *c. 1. §. si quis. 5. & § seq. 1. F. 4.* & nisi prædio limitato quid accedat, *l. in agris. 16. ff. de acquir. rer. dom. l. 1. §. si insula 6. ff. de fluminib. Andr. de Ifern. Alvar. (n. 4.) Io. Ant. de S. Georg. (verb. omne incrementum.) ad d. c. 1. §. 5. 1. F. 4.* si quid tamen feudo à vasallo additum sit, quod per se subsistere possit, non accrescet feudo; sin per se censi nequeat, aliud asserendum erit, *c. 1. §. 1. 2. F. 8. c. 1. vers. si vasallus. 2. F. 28.*

LIX.

Vasallo item licet feudum, etiam sine domini voluntate, refutare, *c. 1. 2. F. 38.* modò id tempestivè faciat, & sine fraude, *Sonsbecc. comment. ad us. feud. part. 12. n. 117. v. A. B. Carol. IV. cap. 14.* at post refutationem, et si ad serviendum domino non teneatur, offendere tamen eum non debet, *d. c. 1. in fin. 2. F. 38.*

LX.

Sub infeudandi præterea facultas vasallo data est, invito itidem domino, *c. 1. §. 1. vers. per feudum. 2. F. 3. c. 1. in pr. vers. si verò. 2. F. 9. c. 1. §. fin. vers. beneficium. 2. F. 26. c. 1. §. fin. pr. 2. F. 34.* Si sincerè, & absque fraude, *d. c. 1. t. 9. d. c. 1. t. 26.* Si ejusdem conditionis personæ feudum dederit, *d. c. t. 26. d. c. 1. t. 34.* Si eadem lege, sive eodem pacto alium investiverit, *d. c. t. 34. Bocer. cl. 5. d. 19. ch. 56.* & sic feudi concessio in infinitum porrigetur, *d. c. 1. §. fin. pr. & ibi Alvar. (n. 4.) & Ant. de S. Georg. (improbantes Andr. de Ifern. qui ibid. id solum usque ad tertiam personam inclusivè admittit) t. 34.* at resoluto jure datoris, resolvetur jus acceptoris, *l. lex vectigali. 31. ff. de pignorib. & hypoth. Hattrys. analys. jur. feud. cap. 10. in pr. lit. V.* & subinfeudatio Ecclesiæ, aut civitati facta citra domini consensum non subsistet, *c. 1. vers. indè potest. 1. F. 13. Schrader. tr. feud. part. 8. cap. 2. n. 16.*

LXI.

Id generaliter verum: beneficiarum conditionem feudi meliorem facere posse, non deteriolem, *c. 1. §. 1. 2. F. 8.* proindè licet servitutem acquirendi, *d. §. 2. F. 8. c. 1. vers. si vasallus 2. F. 28.*

C

non

non tamen ipsi in præjudicium domini, vel legitimorum succes-
forum, prædio feudali eam imponendi potestas concessa, *c. 1. pr.*
vers. rei autem. 2. F. 8.

LXII.

Eadem ratione vasallus sine domini (vel agnatorum, si feu-
dum sit paternum, *c. 1. in pr. 2. F. 39.*) permisso rem beneficia-
riam alienare prohibetur, *c. 1. pr. 2. F. 52. c. 1. pr. 2. F. 55.* nam
neque illam donare, neque in dotem dare, *c. 1. §. 1. 2. F. 9.* & hoc
in Camera obtinuisse, testis est *Myus. cent. 4. sing. observ. 86.* neq;
legare ne pro anima quidem, *d. §. 1. 2. F. 9. d. pr. 2. F. 55. vid.*
Hottom. lib. de verb-feud. lit. 1. verb. judicare. neque vendere, neque
oppignorare, *d. c. 1. pr. 2. F. 55.* neque permutare potest, *Borch.*
in consuet. feud. cap. 8. num. 46. Vultej. de feud. lib. 1. cap. 10. n. 50.
neq; in emphyteusin, *Borch. d. cap. n. 37. Vultej. d. c. n. 47.* neque
in usumfructum, *Vultej. d. cap. 10. n. 41.* neque in solutum dare,
Borch. d. c. n. 47. Vultej. d. l. n. 52.

LXIII.

Hypothecandi verò licentiam feudatarium habere contendi-
mus, *Borch. d. c. 8. n. 60. & seq.* itemque locandi, (non distin-
guendo inter tempus breve, & longum, *d. §. 1. 2. F. 9.*) nisi locatio
fraudulenta sit alienatio, sicut est per libellum, ut dicatur vendi-
tic, *d. §. 2. F. 9.* de feudo quoque transigendi, *c. 1. §. fin. vers. si va-*
sallus. 2. F. 26. c. 1. 2. F. 43. modò non diminuendi causâ transi-
gat, *Boc. cl. §. d. 19. th. 78. & seqq.* & denique de eo com-
promittendi in arbitrum, non etiam in arbitra-
torem, *cum Vultej. de feud. lib. 2. cap.*

2. n. 2. & seqq.



PRæter opinionem ex causis festinandum mihi fuit, adeoque in locum materiæ, quam meditabar, quia prolixiorem desiderabat tractationem, hactenus dicta, quemadmodum se pro temporis angustia obtulere, pro argumento disputationis proponere volui: ut tamen & ex utroque jure disquirendi occasionem præberem, sequentes controversas conclusiones subijcere libuit.

I.

Etiam si beneficiorum vacantium collationem ad se pertinentem Pontifex intra mensem facere distulerit, Ordinarius sibi eas partes non sumet.

II.

Regulariter jure canonico litis demum contestatione delegati jurisdictio perpetuatur.

C 2

III.

III.

*Eodem jure donatio inter conjuges juramento
roborata valet.*

IV.

*Etiam post impletam usucapionem malà fide
superveniente, possessor in foro pontificio non
erit tutus.*

V.

*Exceptionem obijciens nec civili nec canonico
jure de adversa partis intentione confessus
intelligitur.*

VI.

*Legati fideicommissis adempto, non censebitur
ipsum legatum ademptum.*

VII.

*Sui & emancipati conferent, etsi capite Unde
liberi exclusi, ex alià parte Unde agnati, &
Unde cognati succedere velint.*

VIII.

*Opificibus novo opere nunciato, id quoque do-
mini impensis destruendum erit, quod, an-
tequam nunciatio ipsi innotuit, factum est.*

IX.

IX.

L. si unquam. 8. C. de revoc. donat. in terminis donationis liberti à patrono facta relinquenda videtur.

X.

Sententia sine probationibus lata regulariter non est ipso jure nulla.

XI.

Cessionis bonorum beneficio renunciari nequit.

XII.

Fideicommissario universali ante restitutionem (intellige verbalem) factam, remedium l. ult. C. de Edict. D. Hadr. toll. non competit.

XIII.

Licet in instrumento debiti cautum reperiatur, quod loco fidejussoris mortui debitor alium substituere debeat, heredes tamen defuncti manebunt obligati, Et ne quidem taciti pacti exceptione defendentur.

XIV.

In privatis criminibus per inquisitionem regulariter procedi nequit.

XV.

*Appellatio à possessorio, sive plenario sive sum-
mario, (quamvis hac distinctio jure videatur
minimè probari, & rerer à unicum tantum
sit possessorium) ne quidem effectum de-
volutivum operabitur.*

XVI.

*Illud addere placet: Si quis gemmam, quæ ad-
huc nullius est, primò à se visam (licet ani-
mo eam apprehendendi) demonstrat alteri,
etiam gemmam se invenire dicens; non i-
psam visu, sed alterum apprehensione præ-
vertendo dominium sibi vindicare. Diss.
Bachovius ad Tr. vol. 2. disp. 20. th. 2.
lit. H. pr. ubi hunc casum fingit.*



612

re-

I

m-

ea-

in-

de-

ad-

ni-

ri,


i-

ra-

is.

2.





E

DI
IN
VE
E

IN

T



ULB Halle
005 714 745


3



VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
CONSTITUTIONE ET ACQUISITIONE FEUDI: ET INDE
COMPETENTI JURE.

607.

1642, Fe
36

Quam
DECRETO ET AUTORITATE
amplissimæ Facultatis juridicæ, in celeberrima Argentoratensium
Academia,

*Pro consequendis in utroque jure honoribus
Doctoralibus,*

Sub præsidio summæ
TRINITATIS.

*Publicæ & Solenni ventilationi exponit,
ad diem 17. mens. Mart.*

JOHANNES Glüter /
HAMBURGENSIS.

ARGENTORATI,
Typis, JOHANNIS ANDREÆ,
M. DC. XLII.

